

II S
52

EXAMEN
SUECICI LAPIDIS,

qui anno superiori
MIRIS SUPERBIRE FIGURIS
dicebatur,

P R A E S I D E

M. GEORGIO WENDIO,

Gymnas. Thorun. Rect. & Prof. P.

a.d. *Maji, A.O.R. M. DCCI.*

ad conferendum propositum

JOH. ANTONIO Nachlisz / Thorun.

Opponendi Provinciam sustinentibus:

CHRISTOPHORO Liszwagen / Thorun.

GODOFREDO Eitner / Ravicensi Polono.

JOHANNE Wolf / Corona - Transylvano.

THORUNI,

Typis AMPLISSIMI SENATUS THORUNIENSIS.



EXAMEN
SVECICI LAPIDIS.
VIRO. NOBILISSIMO.
DOMINO.
JOHANNI. CHRISTIANO.
de Wolffsburg /
PATRITIO. WRATISLAVIENSI.
P.T. HOSPITI. THORVNIENSI.
VIRO.
IN. SCIENTIIS. ET. ARTIBUS. MATHEMATICIS.
EXCELLENTER. VERSATO.
MÆCENATI. SVO.
EXAMEN. HOC. SVECICI. LAPIDIS.
SACRVM. ESSE. CVPIT.

RESPONDENS.
JOH. ANTONIVS. RÜCHLEZ.

PRÆFAMEN.



Nnus est, & qvod excurrit, qvod è Sueciæ oris ad nos deferebatur prodigiosa satis Relatio, qvæ, qvod Lapidem qvendam insolitas prorsus, & hactenus à nemine Lithologorum in eadem minera observatas, figuræ mentiri prodebat, primo statim intuitu suspecta mihi videbatur. Judicium meum tum erat: *fictum omnino esse hunc lapidem, aut certe faditium.* Neqve enim in Cardani, Aldrovandi, Wormii, Settalæ, Imperati, Calceolatii, Moscardi, Kircheri, Majoris, aliorumqve curiosissimis Museis aut Scriniis simile qvoddam notatum fuit phœnomenon. Id qvoqve agebam sine mora, ut *Observationes aliquot Mineralogicas* è Naturæ pictricis matricula concinnarem, ac, qvam ab ejus instituto alienum esset, plures, easdemqve diversas, in eodem lapide fingere picturas, ostenderem. Stabat qvin etiam sententia, *Conjecturas illas, qvas pro exauctiorando monstroso illo lapide è præmissis Observationibus elicueram, per typos publicos cum curiosis communicare Physiologis.* Ecce tamen! dum hoc ago, surgunt alicubi Amici, qvi à Pontificis R. Musarumqve & Apollinis (illius qvidem in saxo Mansfeldico, harum in Pyrrhi Achate,) deprehensa olim imagine argumentum petentes, opinantur, nihil obstare, qvo minus & in Sveciæ cavernis prodigiosum ejuscemodi produci potuerit Oculiferium. Vim Naturæ plasmaticam & quæ laboriosam ibidem esse, ac alibi. Rectorem Cartemündensem in Fonia, M. Henricum Schachtium, in peculiari Dissertatione exhibuisse mirandas satis Seprentrionis, in primis Dania & Norwegia, figuræ, hactenus nemini suspectas. Differendam esse Observationum Conjecturarumqve editionem, dum planiora è Suecicis constarent litteris. &c. Morem gessi, distuli: non, quasi causæ meæ diffiderem; non, qvod non haberem, qvæ ad objecta regeverem; (contrarium enim ex infra dicendis ad oculum omnino patebit,) sed qvod perswasum haberem, Schachtianæ Diatribæ me interea fore compotem. At qyonam, qvæso, successu vel eventu? an surrexit interea, qvi se figuræ istas suis in Suecia oculis usurpassæ jactaret verè? an homogeneum qvid è Cl. Schachtti scriptis commonstrari potuit? Confossæ Conjecturæ meæ, qvas antea cum Amicorum integrerimis hic & alibi communicaveram? Immo vero Res jam est in vado. Experientia suum mihi adjicit calculum. Litteræ, ab Affine & Fautore honoratissimo non ita pridem Holmiâ ad nos trmissæ edocent, siota esse pleraque, nugas & mera commenta,

prater obscuriusculum Crucis signum nibil in laudato lapide confisci. Qvantquam igitur tacere nunc, qvam in tanta veritatis luce plura movere, consultum magis condocefacturus tamen, deliberatas è Naturæ methodo Conjecturas non prouersus esse sicutileas; gratificaturus dein & eorum Voluntati, qvì etiam de re dubia, anteqvam certi quid de eadem constiterit, probabilius philosophari pulchrum ducunt, non pigrabor, I. Relationem ipsam, II. Observationes, III. Conjecturae Mineralogicas, (utrum conceptæ à me fuerint,) IV. Epistola Suecica Contenta, in chartam conjicere, & hac ratione curioso Lectori simul Veritatis speciem, simul Veritatem ipsam, in eadem Scena sistere. Utilitas, si non alia, hæc forte emerget inde, qvod Traditionibus prodigiosis, è Locis exoticis, præsertim de re minerali, in nostram Provinciam transportatis, non temere fides habenda sit. Fingunt aliqui, qvis negat? ut Eruditorum eliciant judicia: fingunt plures, ut simplicioribus salve imponant. P. L. benigne interpretur curiosum hoc Apophasmation, &c, qvia interdū in examinandis prodigiosis ejuscemodi iconismis instar Lapidis Lydii potest applicari, si ita libet, futuris reponat usibus.

I. RELATIO DE PRODIGIOSO SUECIÆ LAPIDE,

è Germanica in Latalem Lingvam translata.

PAUCIS abhinc diebus Majestati Regiæ ostensum fuit Saxum petrosum, in agro Provalensi repertum, qvod superne qvidem CAROLI XII. Nomen, Insignia, immo speciem ejus totam, affabre referebat; ante pedes ejusdem conspicere licebat Leonem, porro nativitatis unctionisq; Regiæ annum, insuper & numerum Æræ Christianæ M. DCCI. & M. DCCX. Inferne autem extabat Papa, sceptrum manu tenens; ad pedes ejusdem prostratae Coronæ triplicis, ad latuis ipsius Monachi calvastri, angeli, aquilæ, cygni, canis & felis, tandem & decadis iteratae, miræ apparebant figuræ. (Quæ deinceps sequuntur, Regis G. Ad. Insomnium, Relationis præmissæ clavem vel quasi continent.)

II. OB-

II. OBSERVATIONES MINERALOGICÆ DE FIGURIS MINERALIUM IN GENERE.

I. Observationes de Figuris sigillatim consideratis.

I. OBSERVATIO.

Hominis, præsertim integri, figura rariuscule; Regis aut Episcopi Romani, perqvam rarissime, in Regno Mineralium conspicitur.

Dico. 1.) figura hominis. A Christi crucifixi; Maria, filiolum in ulnis gestantis; & Sanctorum qvorundam (e.g. Joh. Baptista & S. Jacobi,) stupendis ideis si recesserimus, perpaucia hominum, à polydadal natura in lapide pictorum, simulacra numerabimus. Signabimus tamen, prater Lutherum, (de quo infra,) qvotqvt coacervare potuimus, imperfecta juxtim & perfecta.

Imperfectorum nomine b.l. veniunt, qva partem humani corporis, Caput e. g. reddunt. Talis gemma est Achates Rudolphi II. Caesaris, cui, narrante Balbino, (in Miscell. Histor. Bohem. l. 1. c. 32. p. 80.) natura velut per ludum humani vultus similitudinem impresserat. Talis est Onychinus Coloniensis in capsa trium Regum, in quo (sunt verba Alberti M. l. 2. de reb. Metall. c. 2. p. m. 118.) picta sunt duo capita juvenum albissima. &c.

De ceteris uotandum: In Mansfeldensi Comitatu (Brunnero teste §. 29.) Imago Protoplætorum, frustum verticium depascentium, depicta fuit. Bebblehemii Führer (in Itiner. p. 66.) & post eum Dn. de Monconnys (T. 1. Itin. Turc. p. 314.) in marmore figuram viri barbati, qvam natura in venis lapidis tam distincte effinxerat, ut primo intuitu arte factam crederes, (Incola S. Hieronymi effigiem credunt esse;) & è regione formam fæmina, suis confexerunt oculis. Plinius (l. 36. c. 5.) Sileni imaginem in Pario marmore serra dissecto; Gassarellus (Curios. in-aud. p. 80.) Pisis in Italia Senem, rivulo asidentem, dexteraque tintinnabulum tenentem; Vincentius (in Speculo Nat. Histor. allegante Fr. Rues l. 2. de Gemm. t. 1. p. 205.) in aliqua Jaspide hominem, habentem scutum in collo &c. in alia similiter hominem, fasciculum herba in collo gestantem; Scaliger (Exercit. 117.)

in marmore ichnographiam barbatì Seni, quam ad Paulum, primum Eremitam, uno consensu retulerunt omnes; Otto Dapper (in Amer.) prope Limam interdum humani corporis membra, interdum, quanquam rariuscule, integri corporis structuram, annotarunt, ac posteritati admiranda reliquerunt. Quia vero non certis ductibus hominis similitudinem ostentant, verum ex solido argento aliave minera (ut est apud Agricolam de Fossilibus,) virunculum metallicum, bestiolam, aliquam figuram conglomeratam pra se ferre dicuntur, stricte loquendo considerationis nostra non sunt. Picta enim, adumbrata, punctulata, delineata sunt imagines nostra, non calata.

Dico 2.) REGIS. Albertus M. l. c. c. i. (apud Majol. Colloq. 18. dier. Can. p. m. 610.) Venetiis in ade S. Marci, Fulgosus (lib. i. c. 6. Memorabil.) in Urbe Mantua, admiratus est Caput regium diadema ornatum, natura penicillo ita adumbratum, ut (reste Gaff. l. c.) vix pictor illud imitari potuisset, adeo exacte maiestate vultus, oculis & ore in ea representatis, ut nemo non in admirationem rapeatur: integrum vero, vel saltim dimidiatum, Regis effigiem hactenus in R. Min. admirari non licuit.

Dico 3.) EPISCOPI Romani. Rome in aula Palatina regia Pontificis R. vultus & consuetum capitis ornamentum in Porphyrite; (Majol. l. c.) Islebie in lapide Schisto, seu fissili; (Fabrit. in Cosmograph. S.) in sylva Mariana in Pyrite bituminoso (Gaffar. l. c.) deprehensum fuit. Ecce jam parsimoniam Natura in excellentioribus Creaturis pingendis!

II. OBSERVATIO.

Angeli Ectypon in Regno Min. tam rarum est, quam quod potest esse rarissimum.

Angeli typum, in Lapis sub forma pueri expressum, Kircherus non nisi apud Justinianum, Principem Bassanensem, se confexisse testatur. (l. 8. M. S. f. 2. c. 2.) Brunnerus tamen (de Mansfeld. Lap. §. 27.) autor est, A. 1674. inter fossilia Islebienia inventam talem Angeli figuram.

III. OBSERVATIO.

Brutorum minorum, in primis aquatilium & volatilium, freqvens in R. M. copia; majorum & nobiliorum non item.

Posterioris paret. Leonem è pyrite formatum commendat Wormius p. 40.
Musei sui, sed calatum à natura, non interscribentibus punctulis notatum, &
propterea pro Leone Suecico nil militantem; Cygni speciem Casanati, Medici
Fissontini, lapis, cuius Jonstonus (Class. 4. Thaumat. c. 17. p. 150.) meminit; &
Felis cujusdam exteriora, minera, à Kirchero l. c. observata, monstrat; an
vero Aqvilæ juxtim & Canis Phasmatæ in natura panoplia consignata prostent,
incertum est. Ephemerides, quantum ego quidem noverim, nihil de his loquuntur.
In filicis radice Kircherus (p. 2. M. Art. L. & U. l. 10. f. 806.) in polypodio
Berniz (Ephem. German. An. 2. obs. 1.) aquilam imperiale, Cesarea analogam,
ari perenni insculpi fecit, in R. M. autem Aetitem prius, h. e. aquilinum lapidem,
quam ipsam aquilæ ideam, deprehenderis.

IV. OBSERVATIO.

Litterarum & Nominum figuræ rarissime, Numerorum
(nisi in X.) nunquam fere in R. M. observantur.

1.) Litterarum Exempla habemus sequentia. Gaffarellus (l. c. p. 79.)
autò est, tales in Foccalqueriensi bolo exhiberi, quales autem illæ sint quantæve,
ibidem non exponit. Kircheri Alphabetum Naturale, è Tolensisbus aluminis fo-
dinis collectum, è Tomo II. M. S. (f. 23. & l. 10. magn. art. L. & ll. p. 2. c. 2.) no-
tum est. Quæ vero è Tiburtinarum Latomiarum eruta, Inscriptionis Christi fe-
rallis, per apices I. N. R. I. præ se ferunt ὄμοια, forsitan hujus loci non sunt.
Kircheri enim (part. 3. Latii c. 5. f. 206. & Tom. 2. M. S. l. 8. f. 1. f. 41.) probable
viderur, CASU aliquando amissum, & postmodum in lapideam substantiam
conversum fuisse Crucis Dominica Titulum.

2.) In R. M. Christi, Maria & Regis Gallia allegantur Nomina, sed 1.)
quasi sola, 2.) ita, ut prater primum nil sit notabile. Primum in S. Cesare
Majestatis, LEOPOLDI I. Achate ex nativo nigricantrium macularum con-
cursu tali modo delineatum cernitur: B. XRISTO. R. S. XXX. quod Bi-
bliotecarius Cesareus, Lambecius, ita olim interpretatus est: BEATORI
ORBIS. CHRISTO. REGI. SEMPITERMO. TRIN-VNI. CRVCIFIXO.
(Ephemerid. Germ. An. 1 Obs. 112. p. 263.) Secundum perhibetur à Nidero
(apud Gaff. p. 81.) in Mauritania prope urbem Septensem Ceuta inventum. Alii
quippe lapidi inscriptas fuisse has voces: AveMARIA! alii has: gratia plena: & qui-
busdam: Dominus tecum! sed quis fidem accommodet Nidero, tam insolita in R. M.
venditanti? Esto, venerabile MARIE ibidem propullulasse Nomen, quis vero cre-
dat,

dat, natura, non sculpta, vel incisa, vel petrefacta fuisse reliquas voces? Sane! integra dicta nullibi in natura libro conspicua. Tertium, Regis Gallie (nescio, cuius?) Nomen jactatur à Gaffarello p. 81. sed parum gloriose. Manus enim, diversos calculos combinant, non natura, in eadem massa generant, hoc fuit Officium. Unde pro Nominibus in Saxo defendendis parum hic presidit.

3.) Numerorum tandem (nisi in piscibus, quamquam & hic parcissime,) nemo Curiosorum meminit. In Museis Eruditorum, quantum equidem novi, nulla eorum vestigia. Quid enim de littera X, decadem apud Romanos significante, observatur, nihil ad rhombum facit. X. h. l. non tam ut numerus, quam ut littera x, interdum etiam ut Crucis figura, attenditur. Significatio litteralis eidem intrinseca, quod vero Romanorum arbitrio denarium interdum subinnuit, extrinsecum solummodo atque accessorium est. Hinc quoque Lambecius l.c. per tria XXX. non ad numerum, nescio, quem, verum ad Crucifixum respexit. Notet hoc Suecica Relationis Autor!

II. Observationes de Figuris Mineralium con- junctim consideratis.

V. OBSERVATIO.

Figuræ cumulatae in eadem minera raro sunt obviæ, & propterea non raro suspectæ.

1.) Fig. Sacra.] Jonstonus (Cl. 4. Thaumaturg. c. 17. p. 150. è Colero) recenset, tempore Joh. Friderici, El. Sax. effossum fuisse lapidem, qui Christum Crucifixum, Iohannem & Mariam adstantes, certis intercurrentibus lineamentis expresserit, eundemque pro naturæ miraculo fuisse habitum. Recensuit & Osvald. Grembsius, (in Arbor. homin. l. 1. c. 7. f. 5. §. 18.) alibi locorum, incertum, ubi in terra visceribus eundem Crucifixum cum Maria Virgine prodisse, attamen non perinde, ut priorem, linearum flexibus definitum, verum è puro argento consolidatum fuisse. Propterea excluso hoc posteriori schemate, quod iterum non facit ad scopum nostrum, in priori acquiescimus.

2.) Profane. (a) De Pyrrhi R. Achate, in quo Plinius quidem (l. 37. N. H. c. 1. p. 644.) Apollinem cum Musis; aliò vero (ut est apud Albertum M. l. 2. de Reb. Met. c. 4. p. 123.) filiorum Israël ex Egypto proficiscentium Caravananam, exhiberi arbitrantur, probabiliter Cardani (l. 7. Subtil. p. 353.) & Kircheri (M. S. f. 41.)

f. 41.) est sententia, delineatam prius à pictore in marmore, & postmodum in terra, ubi Achates generantur, vel defossam sponte, vel deperditam, picturam urgente ita spiritu Gorgonico tandem in Achatem perspicuum transisse, non autem, ut vult Gaffar. (p. 78.) natura pictricis specimen esse. Incassum igitur laborant, qui inde pro Suecico lapide ratihabendo argumentum petunt. A petrefactis artifactorum ad pictas figuras, qualis Suecica perhibetur esse, N. V. C.

(b) E paucis, qvæ residue, sequentes fere sunt potissima. Communiter magni sit Herciniæ nemoris pyrites fissilis, qui, ut Cardanus (l. c. p. 359.) prodit, macularum aurearum distinctione marini passeris, ranarum, salamandra, galli, Pontificis barbati, B. M. V. aliasqve species in agro Fribergensi mire reddit, attamen sine nostro iterum præjudicio. quia enim in diversis, non eodem pariete ista refert, ad simplices, non cumulatas, figuræ eadem pertinent. Zeilero teste, rupes Aichstetensis varii generis flores, folia, aviculas aliaqve suavia oculiferia in eadem matrice mentitur. Cesanati, Medici Fissontini, lapis, à Jonstono l. c. commendatus, serram, gladium, Delphinum & cynum ita representat, ut non superficie modo hærent, sed totum penetrant lapidem. Foccalqueriensis bolus, siquidem aurito testi, Gaffarello (p. 79.) credendum, aviculas, mures, viperas, arbusculas & qvæ non? ingenitus, non impressis, suppeditat figuris.

VI. OBSERVATIO.

Rationalium & irrationalium animalium figuræ rariuscule per naturam in eadem minera signantur.

E. g. 1.) Rarum quid est, qvod in Onyche Colonensi duo juvenum capita albissima, & in fronte eorum serpens nigerrimus, capita quasi colligans, figurata sunt. Hinc etiam aliquantisper hasit Albertus M., anteqvam (l. c. p. 118.) natura fateretur esse.

2.) Ex Thatelis Judæi autoritate, in Jaspide quadam conspectus homo, cui scutum in collo, cuspis in manu, serpens sub pedibus. Rues l. 2. de gemm. c. 1. p. 205. item Jonston. l. c. p. 157.

VII. OBSERVATIO.

Contrariorum Subjectorum Figuræ, qvanqvam ipsæ, qvæ tales, invicem non contrariantur, minus tamen freqventer in eadem minera comparent.

1.) Lutheru quis infensus magis, quam Papa R. ecce tamen ! in Schisti Islebiensis facie altera Pontificis R., in altera (non eadem) B. Lutheri per Naturam expressa fuit effigies. (Schottus in Mag. curiosa part. 1. l. 4. p. 183.)

2.) Agnus quoque & serpens minus gratae cohabitent. Attamen si Nierembergio (l. 16. H. N. c. 22.) subscribendum, Crystallus agnum & serpentem, quorum hic illi insidiatur, ille vero huic Crucis signum epponit, & hoc ipso agni celestis habitum cum serpente infernali certamen raro exemplo in memoriam revocat, exhibet. Plura jam non sunt ad manus.

VIII. § ultima OBSERVATIO.

Personæ, & earum Nomina ac fata, fatorumque anni, in eadem minera consignata, res in R. M. inauditæ sunt.

1.) Superius (Observat. V. §. 1.) Christi, Iohannis & Maria figura notata fuerunt, attamen suis Nominibus & Numero, quo quidem anno Salvator monstrosum Crucis mortem pertulerit, non connotatis.

2.) In Cimelio Viennensi vice versa observatum dulcissimum CHRISTI Nomen, sine tamen ejusdem Effigie. (Observat. IV. §. 2.) Unde clarum, Personam & ejusdem Nomen in R. M. conjungi vix soleat.

3.) Superius quoque (Observ. I. §. 2.) Capitis Regii coronati; & (Observat. IV. §. 2.) Nominis Regii, putat Gallici, facta mentio, ast quoniam ambitu Priori Nomen, posteriori Effigies, à natura denegata fuit. fiat ergo jam Conclusio !

N.B.

In alio Figurarum, Cœlestium nempe, Elementarium, vegetabilium, Ruderum, artefractorum genere non abnuimus, pluscula figurata observata fuisse Mineralia; (ita enim Kircherus: (l. c. f. 1. c. 8.) Natura in gemmato regno cœlorum fixit tentoria, quæ & sole, luna, stellis, miro ordine vestivit. deinde ad Opticam progressa, flumina, sylvas, prata, montes, maria, ad exactam perspective amissim, in multis lapidibus ita depinxit, ut nullius Optici manum, ultra suam industriad, desiderare voluisse videatur. &c.) quatenus verò ad Suecici lapidis figuras, hominem nimirum, angelum, bruta, litteras, nomina & numeros, quibus ille omnibus excellere fingebat, respicendum nobis fuit, satis nos exemplorum coacervasse jam putamus. Propterea manum de Tabula !

III CON-

III. CONJECTURÆ,

Suecum Lapidem in specie concernentes;

I. PHYSIOLOGICÆ,

1. Generaliores.

- I. Si quædam Figuræ *simplices* raræ, quanto potius *conjunctionæ* sive *cumulatæ*.

E.g. Rara est Regis, rara Papæ simplex imago, juxta Observ. I. Ergo multa magis rara, & propterea incerta, eorundem *Conjunctionæ*.

- II. Si in diversis Mineris quædam figuræ insolitæ, quanto verius in eadem.

E.g. In alio quidem lapide hominis, in alio Ursi vel agni interdum, perquam autem raro utriusq; figura in eodem subiecto conspicitur. Ergo nec attinet, simpliciter credere, Regis & Leonis, Papæ R. & Aqvila, Monachi & Felis, ideam in eadem minera per naturam expressam fuisse.

2. Specialiores.

- I. Si Figuræ cumulatæ (*in eadem minera*, juxta Observ. V.) sunt rarissimæ, scqvitur, aut Lapidem Suecum perquam rarissimis annumerandum, aut, cum Natura potius in multiplicatione figurarum perquam parca sit, eundem ob miram figurarum ubertatem & varietatem pro suspecto habendum esse.

- II. Si Angeli Ectypon est rarissimum phœnomenon, recte faciunt, qui Suecum Angelum prius probant, quam approbent.

B a

III. Si

III. Si Figuræ rationalium & irrationalium animalium
(juxta Observat. VI.) rarissime in eadem minera
signantur, minus consultum erit, Sueicum Lapi-
dem confessim pro genuino agnoscere.

NB. Ibidem nempe Rex & Leo; Papa, aquila & cygnus; Monachus, canis
& felis, in eodem Schemate conjuguntur.

IV. Si Lapidum Numeri (juxta Observ. IV.) per se rari,
(immo forte nulli,) male philosophantur, qui eun-
dem Lapidem pro vero Naturæ fœtu aestimant.

NB. In eodem quippe non solum decades, (qua, quatenus in pietra della Croce
Crucis figuram denotant, h. l. non rejiciuntur,) verum & nativitatis
unctionisque regia, porro & Æra Christiana M. DCCI. & M. DCCX.
anni annotati perhibentur.

V. Si Personæ & earum Nomina ac facta (juxta Obs VIII.)
nunquam in Regno Min. conjunctim conspecta
fuere, merito Sueicum Prodigium tantisper in du-
dum vocitatur, dum per Experientiam novum
qvid edoceatur & comprobetur.

NB. Sine exemplo, adeoque & sine fide; in Relatione sepius allegata scribitur,
simul Caroli R. speciem, simul ejus Nomen, simul unctionis, simul & alterius,
(forte bellici,) fati annum in predicto Lapide delineata fuisse. Viderit
itaque Autor, qua arte hanc Iconem defendere valeat. Natura Ordinem,
semel à se observatum, facile transilire non solet.

Quid multa?

Duo sunt figurarum & imaginum genera in R. M, alte-
rum, qvod semper in iisdem lapidibus apparet, &
hoc

hoc à natura provenit; alterum, qvod non semper, sed raro, in iisdem lapidibus invenitur, & hoc casu seu fortuitò, sicut ea, qvæ in nubibus generantur, contingit. Cardan. l. 7. Subtil. p. 358. seq.

Quatenus igitur figura, Lapii Suecico assuta, in eodem saxo non semper, immo nunquam, comparuerunt, in proclivi est, dicere, figuræ istas non esse à natura, verum aut casu, aut fraudulenter, aut, qvod verius, nunquam impressas fuisse.

II. MYTHOLOGICÆ.

Ad aliud qvid, qvam ad Naturæ pictricis artem per hoc inventum à Lithodædalo Suecico respici, partim è positu figurarum, partim è subnexo Regis Sueciæ, Gustavi Adolphi, *Insomnio*, qvod clavis instar esse creditur, haut obscure evincitur. Enimvero qui sibi vult, qvod Rex Sueciæ superiori, Episcopus R. inferiori, sede ibidem disponitur? qvæ causa, qvod illi quidem Leo solus, huic præter bona aquilæ & cygni symbola, abjecta qvoqve canis felisque animalcula afficiantur? quale demum portentum, qvod ante pedes Episcopi Corona ejusdem triplex prostrata jacer? Sane! ex intentione Inventoris si judicandum, positus iste personarum Episcopi R. depressam in Suecia potestatem; bestiarum hieroglyphicum acerbum altercandi studium; Coronæ lapsus fatum, nescio qvod, intimare debuit. Qvod deinde Autor rationem *interpretandi Lapidis ex Insomnio* qvodam accessere parat, qvid iterum hoc aliud est, qvam in solo Naturæ miraculo (qvale nullum hic erat,) non acqviescere, verùm sub hac fabula ad *mysticum* qvid reflectere velle? Prima Insomni verba ira sonant: Dieses (nemlich den Stein) auszulegen/ hat man auffgesucht unter den Königl. Documenten einen Traum/ welcher dem Seel. Könige/ Gust. Adolpho, einsmahls geträumet/ da er bey seinem Schwäher- Vater/ dem Churf. von Brandenburg gewesen/ ehe sich der deutsche Krieg angefangen. Ecce hic Mythologiam, vocabulo auszulegen commonstratam! Præcipius, indefesus, atqve in Somno præfiguratus G. Ad. ejusqve successorum Labor fuit Bellum Sacrum, sive Bellum Germanicum pro Religione Orthodoxa susceptum. Qvando igitur depicti (vel qvafsi) in faxo moderni Regis,

Caroli XII. fatum in prædicto Insomnio his verbis exprimitur: Endlich kam ein schmal Jüngling / welcher stattlich gearbeitet / und fertig den Berg hinauff gesprungen / auch / als er auff die Spize kommen / gerufen: Victoria ! nemo non videt , ex mente Autoris (non meâ) de Pontificiæ Religionis suppressione , & nostratis in patentissimis ejusdem Provinciis propagatione potissimum intelligendum hoc esse.

Satis ! Hucusque enim amor indaganda Veritatis conjectando philosophari justit. Jam si qui me oculatores , aut in Regno Min. versati magis , fuerint , (ut credo , passim plurimos inveniri ,) ita ut nihil prejudicare his lineis volui , ita ipsos , ut , si forte ex inspectione originalis Saxi plura & meliora cognoverint , cum erudito Orbe ea communicare dignentur , decentem in modum oratos velim atque rogatos .

IV. CONTENTA EPISTOLÆ,
à Nobiliss. Viro, G. A. Curiæ Thorunens.
Patriæ à Secretis, ad Patronum Thoru-
nensem perscriptæ.

MEmini me audivisse multa passim de Lapide isto , de qvo scribis , vulgi sermone declamari , miranda atque insolita superstitiose jaētari , verum diversis semper in incerta relationibus. Qvare cum vana hæc atque absurdâ viderentur mihi , insuper ea habui , inutile arbitratus , in re ista seriò exploranda tempus ac operam collocare. Jam autem Tuo instinctu adductus , facere haut potui , qvin scrupulosissime rei istius veritatem investigarem , nec non sensus atq; judicia Eruditorum exquirerem. Accessi multos , imprimis Dn. Eliam Brennerum , Collegii Antiquitatis , ut vocant , Assessorem , Virum doctum , præsertim vero in erudiendis ex vetustate & colligendis Nummis

mis Sueo - Gothicis apprime curiosum, cuius mihi de-
mum die hesterna, siqvidem ab Urbe aliquandiu aberat,
conveniendi copia fuit. Accepi ab illis idem fere, qvod
egomet de novo hoc Sueciæ miraculo judicabam, ficta
nimirum pleraque esse, nugas & mera commenta. Re-
pertum qvidem esse lapidem qvendam à Rudbeckio,
homine militari, in sylva Smalandiaæ Brovalensi, inqve eo
conspici, valde tamen obscure, signum qvoddam, repræ-
sentans formam Crucis alicujus, non negant ; verùm
qvæ de nomine Caroli XII. de anno ejusdem nativitatis &
unctionis, de Insignibus Sueciæ, nec non multis aliis fi-
guris in dicto lapide expressis, peregrinantium relatio-
nibus late circumferuntur, atqve jam scriptis in publi-
cum datis disseminata sunt, his omnibus, cum ne umbram
veritatis habeant, fidem minime tribuendam esse uno ore
asserunt. Testis ejus ipse qvoqve Serenissimus esse po-
test, qvi, cupiditate novum hocce opus naturæ visendi
allectus, cum nihil rari, nihil insoliti, nedum qvicqvam
eorum, qvæ fama jactanter vulgaverat, præmemorato
lapidi inesse animadvertisset, cum risu eundem Aulicorum
uni tradidisse dicitur, repertori & figmenti istius auctori
restituendum. Vides igitur, Domine, qvàm multa sæpe-
numero pro veris & liqvidis venditentur, quæ aperte
falsa sunt, & nil nisi

*Rumores vacui, verbaque inania,
Et par sollicito fabula somnio.*

CO-



QKThs 52

VD18

X3053362

COROLLARIA.

- Q. I. An Mineralia vitam habeant? N. contra Severinum & Paracelsistas.
- II. An Aurum aliaque Metalla in fluminibus, v. g. in Tago, Gange & Pactolo, ut referunt Historici, generentur? N.
- III. An cunctæ Mineralium Figuræ Naturæ sint adscribendæ? N.
- IV. An verum sit, in Suecia inveniri lapidem, simul Sulphur, Vitriolum, Alumen & Minium producentem? Aff. *Vid. Acta Philosoph. Angl. p. 310.*

AUDITORI SUO DILECTO,
Adolescenti partim ob Eruditionis, partim ob Modestiae,
curam commendabili,
in praesens occasione Suecici Lapidis
DE FIGURATIS LAPIDIBUS DISPUTATURO,
Feliciter!

Dum Lapidum evolvis Formas, quæ præmia speras?
An lapidem piætum? heus! Ipse figura clues.

*Amoris testandi gratia
scriptit*

P RÆS E S.



B.I.G.

Farbkarte #13

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

20

356,33.

II s
52

EXAMEN SUECICI LAPIDIS,

qui anno superiori

MIRIS SUPERBIRE FIGURIS
dicebatur,

P R A E S I D E

M. GEORGIO WENDIO,

Gymnas. Thorun. Rect. & Prof. P.

a.d. Maji, A.O.R. M. DCCI.

ad conferendum propositum

JOH. ANTONIO Nachliß / Thorun.

Opponendi Provinciam sustinentibus:

CHRISTOPHORO Eiswagen / Thorun.

GODOFREDO Eitner / Ravicensi Polono.

JOHANNE Wolf / Corona - Transylvano.

THORUNII,
Typis AMPLISSIMI SENATUS THORUNIENSIS.

